

ἐν Χριστῷ ἀδελφότητά ἡμεῖς τε καὶ οἱ σὺν ἡμῖν πλείστα Ἀ προσκγορεύομεν. Ἐρρωμένως ἐν Κυρίῳ ὑπερέυχου ἡμῶν, ἡγιώτατε, καὶ μακαρώτατε ἀδελφε.

A sitlo, his qui in stadio pietatis beate unica gloriæ intercessor tribuitur corona. Deo manifestati sumus, qui iudicat omnia et comprobat. Non iurgialiter stamus, non ad contradictionem respicimus, non favorem inanem amplectimur, sed in verbo Dei præpositæ huiusmodi requisitionis resolutionem fecisse dignoscimur, confidentes quoniam pacis Dominus Deus ad alterutrum nostrorum unitatem et dilectionem conservabit in gloria ejus benignissimæ Majestatis. Omnem eum vestra beatitudine in Christo existentem fraternitatem, tam nos et qui nobiscum sunt, multum salutamus. Et subscriptio : Incolumes in domine orate pro nobis, sanctissime et beatissime frater.

## EPISTOLA VI,

### SANCTI THEODORI PONTIFICIS ROMANI AD BOBIENSE MONASTERIUM PRIVILEGIUM.

Ex Ughello, Italia sacra.)

Theodorus, episcopus servus servorum Dei, vener. Bobuleno presbytero et abbati vener. monasterii beati Petri apostolorum principis, e Bobio constituto, ejusque congregationi in perpetuum.

Quoniam prisca regulæ decreta nos doceant, quæ oportet perenniter custodiri, et Patrum constituta indiminuta servari, attamen, et nos supra hoc regulariter decernentes vota supplicum, et maxime orthodoxa fide fulgentium, justo in omnibus debent effectui mancipari, quatenus eorum pia devotio apostolicis inviolata permaneat institutis, atque decretis. Dum igitur excellent filius noster Rotharis rex, et gloriosissima filia nostra Gundiberga, regina gentis Longobardorum, pia et religiosa devotione prospicui, nos scripulis postulasse noscuntur, ut apostolicæ sedis privilegium monasterio beatissimorum Petri et Pauli, in loco qui dicitur e Bobio constituto, in quo vir vener. Columbanus, ex partibus Hiberniæ, in quibus ortus fuerat, sanctis studiis fervens, cum largitate regia in regno gentis Longobardorum, postquam alia fundavit monasteria, accedens, monasterium construxisset perhibetur. Ubi non parvam congregationem monachorum instituens etiam se cum eis paribus piæ devotionis studiis mancipavit. In quo nunc vir vener. Bobulenus presbyter, et abbas una cum centum quinquaginta monachis conversari videtur, et in Dei laudibus, uno regulæ Spiritu superua inspiratione commotus, ad laudem omnipotentis Dei pium exhibet famulatum, conferre deberemus. In quo monasterio, monachi sub regulæ sanctæ memoriæ Benedicti, vel prædicti reverendissimi Columbani fundatoris loci illius conversari videntur. Pro qua re supplicii expetierunt deprecatu, ut privilegium apostolicæ sedis nostræ in eodem mirificæ sanctitatis monasterio concedere deberemus. Quod salubriter annuentes, necnon etiam quia et charitatis debito provocamur, et apostolicæ sedis benignitate ac benevolentia incitamus honorem fratribus exhibere, et specialibus sanctæ Romanæ Ecclesiæ

B filiis specialioris prærogativæ gratiam elargiri, ut hominibus spectabiliores appareant, et commissas sibi Ecclesias apostolicæ dilectionis familiaritate suffulti tutius regant, atque ipsorum subditi majorem eis reverentiam et honorem exhibeant, hoc privilegium, perenni auctoritate servandum, ipsi monasterio et ejus ecclesiæ alacriter indulgemus, ut, videlicet, liceat abbati ejusdem vener. loci mitra et aliis pontificalibus uti. Et quia etiam de Beati Petri, et nostræ dilectionis gratia disponimus ipsam monasterium, et ejus Ecclesiam peramplius honorare, ex apostolicæ sedis liberalitate concedimus ut abbas ejusdem monasterii infra sacra mysteria constitutus signaculo sanctæ crucis valeat præmuniri. Ita quod ad honorem Dei, et ipsius monasterii, et ejus Ecclesiæ supradicta valeat exercere, sicut a prædecessore nostro apostolicæ recordationis Honorio eidem monasterio indultum esse conspicitur. Hæc enim nova postulantium, vel indulgentium est auctoritas privilegii largiendi, dum profecto cunctis apostolicæ sedis non solum sub ditione nostra constitutis, sed etiam in cæteris longius regionibus postulata semper indulgenda sanxerunt, præsertim in viciniam nostram, id est in regno Longobardorum, et præcipue gloriosissimæ filiæ nostræ Gondibergæ reginæ, super hoc litteris expetiti postulata concedimus. Interdicentes omnibus episcopis vicinis, vel procul ab ipso monasterio constitutis, nihil usurpare nihilque præsumere contra hæc, quæ tenor hujus privilegii, et norma decernit, ut, videlicet, episcopus, quem pater monasterii, vel cuncta congregatio voluerit ad celebrandum missarum solemniam, aut consecrationes presbyterorum seu diaconorum, vel etiam tabularum, in quibus missæ debeant celebrari, habeat facultatem in eodem monasterio ingrediendi tantum ad pii opus monasterii. Quo peracto nihil contingens, sed gratis omnia peragens, ad propria mox ingredi non moretur, nihil, sicut diximus, usurpans de rebus monasterii, non de sacris altaribus, non

de paramentis, neque de vasibus, neque de sacris voluminibus, nec quidquam majus, vel exiguum, sed nec concupiscere attentet, quia si privata concupiscere satis est noxium, quanto magis sacra auferre, vel desiderare, et juri suo mancipare Deo est inimicum! Interdicentes etiam episcopo, in cujus parochia esse videtur prædictum monasterium constitutum, ut nihil contra tenorem præsentis decreti pia postulatione indulti, quidquam attentet, neque ullo modo ejus baptismales ecclesias, seu decimas sibi vindicet, nec ipse suique successores præsumant prohibita contingere. Chriam igitur, vel quidquid ad sacra ministeria pertinet, si a parte monasterii fuerit postulatum, a quibuscunque præviderit concedimus præsulibus tribuendum; et, ut superius dictum est, et sæpe dicendum est, nullam potestatem habere permittimus episcopos in eodem monasterio neque in rebus, vel in ordinandis personis, sed quod cuncta congregatio elegerit post mortem patris monasterii, ipse debet in eodem monasterio ordinari. Super hoc neque presbyteros, neque diaconos, nec quamlibet personam in eodem monasterio habere ullo modo potestatem immutare quidquam, vel agere. Cognoscentes quod sub apostolica sede, id est, beati Petri apostoli ex prædicti regis, seu reginæ consensu, et postulatione, sub quorum defensione esse videtur. Nostrum præsentis privilegii indulta concedere. Rogatus vero episcopus a Patre monasterii vel a cuncta congregatione suam exhibeat præsentiam, non autem petitus, ad secreta monasterii accedere non præsumat, ne quietam monachorum vitam, qui solitariam propter Deum studia peragere decreverunt, frequens sacerdotum insolentia irrumpat, ut in Dei laudibus conversantes, pro excellentissime sanctæ sedis apostolicæ nostræ, et pro excellentissimis regibus pia postulatione poscentibus assidue Dominum deprecare non cessent. Si autem,

A quod non optamus, monachi in eodem monasterio constituti, tepidi in Dei amore, et in institutis Patrum torpentes, quandoque conspiciantur existere, secundum regulam ab abbate, id est a patre monasterii, corrigi debeant. Si autem, et ipse abbas in ignavia aliqua contra instituta Patrum, et regulæ tenorem fuerit deprehensus, et in aliquam sinistram partem inclinatus, a sede apostolica, sub cujus constitutis consistit, corrigatur. Nec enim cuidam episcopo damus licentiam sub obtempto reprehensionis aliquam in suprascripto monasterio suam extendere potestatem, sed ejus capiti, id est, apostolicæ sedi, si certo zelo Dei et instinctu pietatis innititur, suis epistolis debet suggerere, ut quid pontifici Romanæ sedis apostolicæ placuerit juxta suam prudentiam prævideat respondendum. Quo facto tunc irreprehensibilibus videntur existere, constituta sedis apostolicæ inviolabiliter custodiendo si studuerit, quæ contra hunc tenorem agi perspexerit fideliter nuntiare, et non semetipsum, et in eorum machinatione quandoque emergere: quod si quidam calliditate aliqua, vel avaritiæ instigatione, quidquam de prohibitis præsumpserit attentandum, et contra superius decreta quoquomodo obviandum, primum quidem sui ordinis gradu et dignitate privabitur, et ex beati Petri apostoli auctoritate, qui ligandi solvendique in cælo et in terra meruit potestatem, sit a participatione Dom. nostri Jesu Christi corpor. et sanguinis immunis, ac nostro consortio seclusus, et etiam excellentissimi, qui pro tempore fuerit, regis, nihilominus submovendus, quatenus, et quæ statuta sunt perpetua possint definitione manere, et temeratores præsentis decreti de sua temeritate poenis multiplicibus subjacere. Bene valete.

Dat. iv Nonas Maii imperii D. piissimi Augusti, Constantini anno 2, consulatus 1, ind. 1.

